

# PRIMEIROS TEXTOS EM LATIM

NARRATIVAS DE LEITURA  
FÁCIL

---

CLARENCE JAMES VICENT

Edição do  
Projeto  
Media Latina



**PRIMEIROS TEXTOS  
EM LATIM**

NARRATIVAS DE LEITURA FÁCIL  
(Edição do Projeto Media Latina)





**Clarence James Vincent**

**PRIMEIROS TEXTOS EM  
LATIM**

**NARRATIVAS DE LEITURA FÁCIL  
(Edição do Projeto Media Latina)**



## Sumário

1. Troia.....	10
2. A captura de Troia .....	10
3. A fuga de Eneias .....	10
4. Rômulo e Remo .....	11
5. Rômulo e Remo ( <i>cont.</i> ) .....	12
6. A expulsão do último rei.....	12
7. Horácio.....	13
8. Coriolano .....	14
9. Cincinato.....	14
10. Os gansos .....	15
11. Camilo.....	15
12. Pirro .....	16
13. Régulo .....	17
14. Aníbal e Sagunto .....	18
15. A travessia dos Alpes.....	18
16. Aníbal na Itália.....	19
17. Canas.....	20
18. Cipião Africano .....	20
19. Jugurta .....	21
20. Mário e Sila .....	22
21. César na Gália.....	23
22. As causas da invasão da Bretanha.....	23
23. Os preparativos para a invasão .....	24
24. A aproximação da Bretanha.....	25
25. O desembarque.....	25
26. O desembarque (continuação).....	26



27. A primeira vitória romana .....	27
28. Uma tempestade.....	27
29. Um ataque surpresa.....	28
30. A batalha de bigas .....	28
31. O avanço romano .....	29
32. O retorno de César para a Gália .....	30
33. Preparação para uma segunda invasão .....	30
34. Os tréviris.....	31
35. A segunda invasão.....	32
36. A vitória romana.....	33
37. Uma tempestade.....	33
38. Descrição da Bretanha .....	34
39. Os habitantes da Bretanha .....	34
40. Um ataque surpresa dos bretões .....	35
41. O método bretão de lutar.....	35
42. Um ataque surpresa dos bretões .....	36
43. A submissão dos trinobantes .....	37
44. A travessia do Tâmisia.....	37
45. Guerrilha .....	38
46. A captura da cidade de Cassivelauno .....	38
47. A submissão de Cassivelauno .....	39
48. O retorno para a Gália .....	39
49. A morte de César .....	40
50. As conquistas de César .....	41
51. A invasão pelo Imperador Cláudio.....	41
52. Boadicea.....	42
53. O avanço romano .....	43
54. A Conquista de Anglesey .....	43

55. Os acampamentos romanos.....	44
56. O avanço até a Escócia.....	45
57. O Monte Gráupio .....	45
58. O discurso de Cálgaco.....	46
59. A batalha do Monte Gráupio.....	47
60. O fim da ocupação romana .....	47

Os textos latinos a seguir foram retirados de VINCENT, C.J. *First latin reader*. Oxford: Claredon Press, 1950. Os títulos foram traduzidos para o português.

Esta edição foi produzida pelo **Projeto Media Latina** e divulgada na primavera de 2022.

Visite a página do Projeto em:

<http://medialatina.lettras.ufrj.br>

Caso queira entrar em contato, o endereço é:

[projetomedialatina@gmail.com](mailto:projetomedialatina@gmail.com)

## **1. Troia**

Troia erat oppidum magnum in Asiā. Mūrī erant altī et validī. Graecī multī ad Asiam nāvigāvērunt et oppidum oppugnāvērunt, sed Troiānōs nōn superāvērunt. Inde Graecī Troiānōs consiliō novō superāvērunt. Equum magnum et ligneum aedificant, quem virīs complent.

## **2. A captura de Troia**

Graecī Tenedum, quae est insula, nāvigāvērunt et Troiānī equum ligneum in oppidum portāvērunt. Inde noctu Graecī Troiam nāvigant et virī, quī sunt in equo, portās oppidī aperiunt, dum Troiānī dormiunt. Graecī Troiānōs multōs vulnerāvērunt et necāvērunt et oppidum vastāvērunt.

## **3. A fuga de Eneas**

Graecī Troiānōs multōs necāvērunt, sed Aenēam nōn superāvērunt. Aenēas et sociī ad

Siciliam et inde ad Africam navigāvērunt. Ibī Dīdo erat rēgīna oppidī magnī et dōna multa Aenēae dedit. Aenēās fabulam Troiae et victoriam Graecōrum narrāvit. Inde Aenēās ad Italiam navigāvit, ubi Turnum et sociōs superāvit. Aenēās Turnum necāvit et oppidum aedificāvit. Oppidum erat Alba Longa<sup>1</sup>.

#### **4. Rômulo e Remo**

Alba Longa, quam Aenēās aedificāvit, erat in Latio. Incolae Latīi erant agricolae et nautae. Numitor erat rex Albae Longae, sed Amūlius regnum occupāvit. Rômulus et Remus, quī erant filiī Silviae, erant puerī parvī. Puerōrum patruus, quī nunc erat rex Latīi, puerōs paene necāvit. Sed lupus Rômulum et Remum servāvit. Post annōs multōs puerī et

---

<sup>1</sup> De forma mais recorrente, a tradição costuma atribuir a Eneias a fundação de Lavínio, (cf. *Eneida*, 12, 194), enquanto a fundação de Alba Longa teria sido obra de Ascânio (cf. *Eneida*, 5, 597), filho de Eneias.

agricolae Amūlium superāvērunt et oppidum ocupāvērunt.

### **5. Rômulo e Remo (cont.)**

Rômulus et Remus, quī erant filiī Silviae, postquam Amūlium superāvērunt, oppidum novum aedificāre voluērunt. Sed erat discordia magna. Inde Rômulus caelum ab Aventīno spectāvit; Remus caelum a Palātio spectāvit. Remus sex avēs vidit, Posteā Rômulus bis sex vīdit. Sed agricolae Rômulo favērunt. Rômulus, quī nunc erat rex, mūrōs aedificāvit. Remus rīsit mūrōs, quod nōn erant altī, et Rômulum irritāvit. Inde Romulus, irātus, Remum necāvit.

### **6. A expulsão do último rei**

Rēgēs populum Rōmānum diu regēbant. Ultimus rex, quem Rōmanī appellābant Tarquinius Superbum, erat saevus et populum terrēbat. Sed multōs superāvit et Gabiōs, oppidum Latīnōrum,

oppugnāvit, et Capitōlium, templum magnum, aedificāvit. Rōmānī rēgem, quod erat saevus, ab oppido expulērunt. Posteā Rōmānī, quia nullus rex erat in oppidō, duōs consulēs – Brūtum et Collātinum – creāvērunt. Tarquinius et sociī copiās contrā Rōmānōs dūcēbant et Brūtum consulem necāvērunt. Sed Rōmānī Tarquinium auxilio deī Silvānī superāvērunt.

## **7. Horácio**

Posteā Tarquinius et Lars Porsenna, quī erat rex Etruscōrum, ad oppidum appropinquābant . Tiberis, fluvius longus et lātus, erat inter Rōmānōs et Etruscōs. Horātius et Lartius et Herminius pontem contrā copiās Porsennae dēfendēbant interea Rōmānī pontem delebant. Inde Horātius, ubi Lartium et Hermīnium remīsit, solus contrā Etruscōs pugnābat. Ubi Rōmānī pontem delevērunt, Horātius trans fluvium natāvit tūtus.

## **8. Coriolano**

Gaius Marcius Coriolōs, oppidum Volscōrum, superāvit. Inde Rōmānī Marcium Coriolānum appellavērunt. Sed populus Rōmānus Coriolānum, quia erat superbus, consulem nōn creāvit et Postea ex oppidō expulit. Coriolānus et Attius Tullius, quī erat rex Volscorum, Rōmae appropinquābant et agrōs Rōmānōrum vastābant . Rōmānī nuntiōs multōs ad Coriolānum frustrā misērunt. Sed, ubi Veturia et Volumnia et puerī ad Coriolānum venērunt, lacrimae feminārum superāvērunt. Coriolānus copiās redūxit et oppidum erat tūtum.

## **9. Cincinnato**

Aequī, quī in parte Latīi habitābant, bellum contrā populum Rōmānum gerēbant . Aequī Minucium, consulem Rōmānum in valle angustā obsidēbant itaque perīculum Rōmānīs erat magnum. Inde Rōmānī nuntiōs ad Cincinnātum misērunt. Ubi nuntii pervenērunt, Cincinnātus in fundō parvō



arābat. Rōmānī Cincinnātum, quī ad oppidum statim  
vēnit, dictātōrem creāvērunt.

## **10. Os gansos**

Brennus, quī erat rex Gallōrum, cōpiās  
Rōmānās superāvit et Rōmae appropinquabat. Sed  
Rōmānī feminās et puellās et puerōs in locum tūtum  
misērunt mllites Capitōlium; defendēbant. Gallī, ubi  
oppidum intravērunt, senatores, quī solī sedēbant in  
forō, necāvērunt et Capitōlium oppugnāvērunt.  
Noctu Gallī ad summum Capitōlium viā secretā  
ascendēbant, sed Rōmānī in Capitoliō anserēs  
multōs, quī erant sacrī deae lunonī, habēbant .  
Anserēs, ubi Gallōs vidērunt, custōdēs Rōmānōs  
clamōre magnō excitavērunt et Capitōlium  
servāvērunt.

## **11. Camilo**

Quia Volscī, quī in Latiō habitābant, arma  
contrā populum Rōmānum parābant, Rōmānī

Camillum dictatorem creaverunt. Romanī copias in tres partes dividerunt; una pars contra Volcos properavit. Inde Romanī castra Volcorum prope Lanuvium oppugnaverunt. Volci vallum arboribus multis muniverunt, sed Romanī arbores, quae erant in vello, incendunt et Volcos fugaverunt.

## **12. Pirro**

In Italiā erant multa Graeca oppida. Pauca oppida Romanōs auxilium rogaverunt; Romanī et socii in pugnis multis erant victores. Inde nave Romanae Tarentum, quod erat oppidum magnum in Calabriā, navigaverunt, sed populus Tarentinus nave oppugnavit et Romanōs multos necavit. Inde populus, qui iram Romanorum timebat, nuntios ad Pyrrhum misit.

Pyrrhus, qui erat rex Epiri, copias magnas et XX elephantos contra Romanōs duxit. Elephantī Romanōs terrebant; Pyrrhus Romanōs in pugna magna vicit. Inde rex nuntios ad populum Romanum

dē pāce frustrā mīsit. Posteā, ubi Rōmānī Pyrrhum prope Beneventum superāvērunt, Pyrrhus ad Graeciam nāvigāvit.

### **13. Régulo**

Rēgulus et Manlius, consulēs Rōmānī, postquam classem Poenōrum vīcērunt, ad Africam nāvigāvērunt et oppida multa expugnāvērunt. Inde Rēgulus, imperātor Rōmānus, cum legiōnibus agrōs hostium vastābat. Sed posteā Xanthippus, imperātor Graecus, cum elephantīs multīs bellum contrā Rōmānōs gerēbat. Mīlitēs Rōmānī, quī erant in castrīs prope lacum, labōre et siti erant fessī. Subito Xanthippus legiōnēs Rōmānās oppugnat: numerum magnum Rōmānōrum capit aut necat: Regulus etiam est inter captivos. Inde Poem Regulum Romam de pace mittunt. Sed Regulus Roma nōs ad bellum incitat.

“O Rōmānī”, inquit, “animum ad bellum firmate; hostēs mox superabitis”. Inde Regulus ad Africam nāvigāvit et Poenī imperatōrem Rōmānum crūdēliter necāvērunt.

#### **14. Aníbal e Sagunto**

Hannibal, quī erat imperātor Poenōrum, ex Africā ad Hispaniam nāvigāvit et cum copiīs magnīs Saguntum oppugnāvit. Ubi lēgātī Rōmanī ad Hannibalem dē pāce vērunt, Hannibal lēgatiōnem nōn audīvit, sed oppidum expugnāvit. Inde Rōmānī legātōs ad Poenōs iterum mīsērunt.

“Hic”, inquit lēgātus Rōmānus, “vōbīs bellum et pacem portāmus: utrum placet vōbīs, sūmite”. Bellum et Rōmānīs et Poenis placebat.

#### **15. A travessia dos Alpes**

Inde Hannibal, postquam cōpiās trans montēs Pŷrēnaeōs et fluvium Rhodanum dūxit, ad summās Alpēs vēnit. Sed montēs aliī Poenōs impediēbant. Inde Hannibal mīlitēs convocat “O mīlitēs”, inquit,

“moenia Italiae et Rōmae transcendistis. Nunc via erit plana; una aut alterā pugnā arcem et capul Italiae in potestāte vestrā habēbitis”.

Via est difficilis, sed Poenī struem magnām arborum faciunt, arborēs incendunt, acēlum infundunt. Tandem in Italiam perveniunt.

## **16. Aníbal na Itália**

Hannibal, postquam in Italiam vēnit, cōpiās trans fluvium Ticinum dūxit, ubi castra habēbat. Inde ubi mīlitēs convocāvit, praemia certa nuntiāvit. “Agrōs”, inquit, “in Italiā, Africā, Hispāniā mīlitibus dabo, aut pecūniam: libertātem servīs dabo.” Inde Hannibal cōpiās Rōmānās prope fluviōs, Ticinum et Trebiam, superāvit. Proximo anno ubi Nepos, quī erat imperātor Rōmānus, cōpiās per saltum dūcēbat, Hannibal insidiās parāvit et subito oppugnāvit. Poenī imperatōrem Rōmānum et mīlitēs multōs necāvērunt et cēterōs fugāvērunt.

## **17. Canas**

Proximo anno Hannibal, ubi cōpiās dūxit ex hibernīs, iter Cannās fēcit et castra prope oppidum posuit. Postea, quia Rōmānī copiās contrā Poens ducēbant, Hannibal Gallōs et Hispanōs in cornu laevo locāvit, Numidās in cornu dextro, agmen medium cum peditibus tenuit. Poenī Rōmānōs magnā cum caede superant, multōs necant aut vulnerant aut capiunt. Magnus est timor inter Rōmānōs. Sed Hannibal mīlitēs nōn contrā Rōmam, sed Capuam dūxit. Mora Poenōrum oppidum servāvit.

## **18. Cipiāo Africano**

Scīpio, quī erat imperātor Rōmānus in Africā, Hannibalem prope Zamam vīcit. Ubi Hannibal ex Africā excessit, Scīpio pācem cum Poenīs fēcit. Poenī nāvēs longās, quās Scipio incendit, elephantōs, omnēs captīvōs Rōmānīs dedērunt. Inde Scīpio cum cōpiīs discessit et ad Siciliam nāvīgāvit.

Postquam milites Rōmam misit, Scīpio iter per Italiam fecit et Rōmam pervēnit. Argentum multum civitāti, quadringentos asses militibus dedit. Propter victoriās Rōmānī Scipionem “Africānum” appellāverunt.

### **19. Jugurtha**

Rōmānī, postquam Poenōs vicērunt, bellum contrā civitatēs multās gerēbant: in tribus bellis contrā Macedonēs pugnāverunt et tandem Macedoniam fecērunt prōvinciam Rōmānam. In Africā Iugurtha, quī Numidiam regēbat, partēs multās vincēbat. Ubi Rōmānī copiās ad Africam miserunt, Iugurtha nōn pugnāvit, sed pecuniam multam imperātoribus Rōmānīs dedit, et pācem fecit.

Posteā, ubi Iugurtha et populus Rōmānus bellum iterum gerēbant, Iugurtha Aulum Albīnum, imperātorem Rōmanum, superāvit multos necavit aut vulneravit; ceteros sub iugum misit. Inde

Marius, quem Rōmānī imperatorem creavērunt, lugurtham vīcit et captivum Rōmam duxit.

## **20. Mário e Sila**

Posteā Cimbrī et Teutones, quī agrōs in Galliā et Hispaniā vastābant, Rōmānōs in pugnīs multīs superāverant. Sed Marius, quem populus Rōmanus imperātōrem creāverat, Teutonēs prope Aquās Sextiās et Cimbrōs prope Vercellās vīcit. Inde Marius et Sulla cōpiās Rōmānās contrā Mithridātem dūcere voluērunt. Sed, ubi Sulla Marium Rōmā expulit, populus Rōmānus Sullam imperātōrem fēcit. Sulla cum cōpiīs multīs et nāvibus ex Italiā discessit, atque, postquam Mithridatem superāvit, Rōmam pervēnit et erat dictātor. Omnēs inimicōs necāvit aut expulit, lēgēs multās fēcit, potestātem Senātōrum auxit.

Post annōs paucōs imperium tōtum senātōribus dedit atque prope Puteolōs vivēbat.



## **21. César na Gália**

Caesar, postquam suās cōpiās ex Italiā duxit, Helvetiōs superāvit; inde Ariovistum, quī erat dux Germanōrum, trans Rhēnum expulit anno tertio, postquam classem aedificāvit, nāvēs Gallōrum delevit. Anno quarto, quod Germānī auxilium ad Gallōs mīserant et impetūs contrā gentēs Gallōrum semper faciēbant, Caesar pontem in Rhēno fēcit. Caesar, postquam gentēs multās vīcit, oppida Germānōrum incendit et agrōs vastāvit. Interim Britannī classem mīserant et auxīlium ad Belgās, quī bellum contrā Caesarem gerēbant. Itaque Caesar impetum contrā Britanniam parābat.

## **22. As causas da invasão da Bretanha**

Caesar dē bello Britannico in suīs librīs narrat. Postquam gentēs multās et Gallōrum et Germanhrum superāvit, propter duās causās ad Britanniam cōpiās duxit. Primum Britannī auxilia Gallīs in bellīs Gallicīs subministra verant; deinde

insula, gentēs, loca insulae Gallīs erant incognita. Mercātōribus, quī ad insulam navigābant, ora maritima sola erat nota. Caesar, ubi mercātōres convocāvit, pauca cognōvit. Itaque Volusēnum, lēgātum, ad Britanniam cum navī longā mīsīt, et cum suīs copiīs iter contrā Morīnōs fēcīt. Volusēnus, quī ad Caesarem a Britannīā post quinque diēs venit, pauca sōla narrāvit.

### **23. Os preparativos para a invasão**

Caesar, ubi cōpiās et nāvēs ad portum Itium convocāverat, omnēs rēs ad bellum Britannicum parāvit. Inde Caesar legiōnes in octōgintā nāvibus onerāriīs transportāvit: XVIII nāvēs onerariās equitibus distribuit. Quintus Titurius Sabinus et Lucius Aurunculeius Cotta, lēgātī exercitum reliquum duxērunt contrā Morinōs et Menapiōs, quī erant gentēs Gallicae. Publius Sulpicius Rufus cum praesidio portum Itium tenebat.

Inde Caesar tertiā fere vigiliā ubi tempestās erat idōnea, solvit. Equitēs etiam, quī ad portum ulteriōrem prōcesserant, nāvēs conscendērunt.

#### **24. A aproximação da Bretanha**

Caesar, quī cum suīs legiōnibus a Galliā nāvīgāverat, hōrā quartā ad Britanniam vēnit. Ibī cōpiās hostium in collibus vīdit; collēs erant alti; lītus nōn erat idōneum; Caesar ad hōram nōnam in ancorīs exspectāvit. Interim, ubi lēgātōs et tribūnōs militum convocāverat, suum consilium ostendit. Inde, quod ventus et aestus erant idōneī et nāvēs reliquae pervēnerant, Caesar ad locum plānum et apertum navī gāvit. Sed Britanni, quī consilium Caesaris, cognovērunt, equitēs et esseda praemisērunt atque cum omnibus cōpiīs ad locum vēnērunt.

#### **25. O desembarque**

Sed Rōmānī, ubi ad locum plānum pervēnērunt cōpiās suās expōnere nōn potuērunt.

Magna erat difficultās propter causās multās: loca Rōmānīs erant incognita; Rōmānī aquam timēbant; magna et gravia arma opprimēbant mīlitēs; hostēs ex ārido pugnābant. Sed Caesar, ubi difficultatem cognōvit, nāvēs longās ad latus apertum hostium mīsīt: inde Rōmānī fundīs, sagittīs, tormentīs pugnābant, sed Britannōs nōn fugāvērunt.

## **26. O desembarque (continuação)**

Mīlitēs Rōmānī propter altitūdinem maris in aquam dēsilīre nōn audēbant . Inde mīles, quī aquilam decimae legiōnis ferēbat, Rōmānōs ex timōre excitāvit.

“Dēsilīte, ō mīlitēs”, inquit, “nisi aquilam hostibus prōdere vultis: ego officium cīvitatī et imperātōrī praestābo”.

Inde, ubi in aquam dēsiluerat, in hostēs aquilam ferēbat. Tum mīlitēs Rōmānī ex navī dēsiluērunt atque cēterī, ubi virtūtem mīlitum conspexērunt, hostibus appropinquābant.

## **27. A primeira vitória romana**

Inde Rōmānī et Britannī ācritēr pugnābant. Sed Rōmānī hostēm fugāre nōn poterant, quod ordinēs nōn servābant atque altitūdo maris impediēbat. Vada Britannīs erant nōta, équōs suōs contrā Rōmānōs incitābant, multī Britannī cum Rōmānīs paucīs pugnābant. Tandem mīlitēs Rōmānī, ubi in ōram āridam pervēnērunt, impetum magnum fēcērunt et hostēs fugāvērunt. Victōria nōn erat magna, quod equitēs cursum tenēre atque insulam capere nōn potuērunt.

## **28. Uma tempestade**

Dum Rōmānī contrā Britannōs pugnant, lūna erat plēna atque magna erat tempestās. Itaque nāvēs Rōmānae, quae equitēs transportābant, propter tempestātem ad insulam pervenīre nōn poterant, sed ad Galliam iterum nāvīgāverant. Interim in Britannīā tempestās nāvēs multās Caesaris adflictāvit. Principēs Britannōrum, ubi de

tempestāte audīvērunt, rebelliōnem contrā Caesarem parābant . Sed Caesar, quod impetum hostium timēbat, frūmentum comparābat atque nāvēs multās re parābat.

### **29. Um ataque surpresa**

Dum Rōmānī frūmentum comparant atque nāvēs reparant, pars legiōnis in agrīs manēbat, pars in castrīs. Inde militēs, quī erant in statiōne prō portīs castrōrum, quod impetum hostium timēbant, nuntiōs ad Caesarem mīsērunt. Cōpiae Britannōrum in silvīs sē occultāverant, atque subito fēcērunt impetum contrā Rōmānōs incautōs, quī frūmentum comparābant paucōs; necāvērunt aut vulnerāvērunt; equitēs Britannōrum et esseda multōs perturbāvērunt.

### **30. A batalha de bigas**

Britannī genus ex essedīs pugnae habent. Prīmo per partēs multās perequitant et tēla cōniciunt atque terrōre equōrum et clāmōre rotārum

ordinēs hostium perturbant. Inde ex essedīs dēsiliunt et pedibus pugnant. Interim aurīgae ex pugnā discēdunt, sed, ubi hostēs suōs premunt, auxilium subministrant. Novum genus pugnae legiōnēs Rōmānās perturbat: sed, ubi Caesar pervenit, Rōmānī timōrem āmittunt atque Caesar legiōnēs ad castra redūcit.

### **31. O avanço romano**

Posteā multōs diēs erant tempestātēs, quae Rōmānōs in castrīs continēbant et hostēs a pugnā prohibēbant . Interim Britannī nuntiōs ad partēs multās mīsērunt et auxilium rogāvērunt. Magna multitūdo equitum et peditum ad castra Britannōrum venit. Inde Caesar, quia habēbat trecentōs equitēs, quōs Commius Atrebās transportāverat ex Galliā, legiōnēs suās prō castrīs instituit. Britannī, quī impetum mīlitum Rōmānōrum sustinere nōn poterant, terga vertērunt. Inde Caesar, postquam agrōs hostium

vastāvit et aedificia multa incendit, cōpiās ad castra dūxit.

### **32. O retorno de César para a Gália**

Britannī lēgātōs ad Caesarem dē pāce statim mīsērunt. Caesar pācem Britannīs dedit et obsidēs imperāvit. Inde, quia tempestās erat idōnea, post mediam noctem nāvēs solvit et tūtus ad continentem pervēnit. Sed duae nāvēs onerariae quae portum capere nōn poterant, ad agrōs Morinōrum nāvigāvērunt. Morinī impetum fēcērunt contrā mīlitēs, quī hostibus multās horās resistēbant. Caesar omnēs equitēs statim mīsīt. Proximo diē Titus Labiēnus cum legiōnibus, quās ex Britanniā redūxerat, contrā Morinōs iter fēcīt. Inde Menapiī et Morinī in potestātem Caesaris sē dedērunt.

### **33. Preparação para uma segunda invasão**

Copiae Rōmānae in Gallia in hibernis manebant. Hieme Caesar in Italiam discessit, sed lēgāti,



quī cum legiōnibus manēbant, nāvēs novās aedificābant et reliquās reparābant . Rōmānī nāvēs humiliōrēs, quod fluctūs nōn magnī ibī sunt, et latiōrēs aedificavērunt, atque

res omnēs ad bellum paravērunt. Caesar, ubi Roma in Galliam venit, mīlitēs propter studium laudāvit et iter fēcit contrā Pirustas, quī magnam partem Galliae vastāverant : sed Pirustae nuntiōs ad Caesarem de pace misērunt atque obsides, quōs imperāverat, statim de dērunt.

#### **34. Os tréviris**

Inde Caesar, ubi ad portum Itium pervenit, omnēs cōpiās convocāvit, consilium lēgātīs et tribunis militum ostendit; mīlitēs, quī omnēs res paraverant ad bellum, laudāvit. Posteā cum quattuor legiōnibus et multis equitibus in agrōs Trevirōrum properāvit, quod nec ad concilium veniēbant nec imperiō parēbant . Civitās Trevirōrum magnās cōpiās equitum et peditum habēbat. Duo,

Indutiomarus et Cingetorix, de principatu contendebant, sed Caesar, ubi principes civitatis convocaverat, potestatem maximam Cingetorigi dedit.

### **35. A segunda invasão**

Tandem, quod tempestas erat idonea, pedites Romani et equites in navis conscenderunt. Labienus, legatus Caesaris, in Gallia cum tribus legionibus et equitibus manebat. Inde Caesar cum quinque legionibus ad occasum solis navis solvit. Sed media nocte, quia non erat ventus, cursum non tenere potuit nec insulam cepit. Prima luce Romani remis contendunt et ad Britanniam venerunt tempore meridiano. Sed Romani hostes in nulla parte conspexerunt. Britannis, quod multitudinem militum et navium timebant, in silvis se occultabant.

### **36. A vitória romana**

Inde Caesar exercitum exposuit atque locum castris idoneum dēlēgit. Caesar, dum decem cohortēs et trecenti equitēs in castris manent, tertiā vigiliā cum legiōnibus suis contrā hostēs contendit. Equitēs Britannōrum atque esseda ex loco altiōre contrā Rōmanōs pugnābant . Sed equitēs Rōmānī hostēs fugavērunt Britannī, quī in silvis sē occultābant, rari contrā Rōmanōs pugnābant. Militēs legiōnis septimae, quī testudinem fēcērunt, hostēs ex silvis expulērunt. Caesar, quod naturam loci ignorabat atque castra mūnīre volēbat, hostibus nōn instābat.

### **37. Uma tempestade**

Dum exercitus Rōmānus pugnat, nuntii a Quinto Atrio ad Caesarem vēnērunt: noctu tempestās maxima nāvēs multās adflictāverat. Caesar ad nāvēs vēnit, atque, ubi subdūxit, cum castris unītiōne coniunxit. Inde fabrōs ex

legiōnibus dēlēgit et aliōs ex continentī arcessit. Rōmānī nāvēs decem diēbus reparāvērunt. Interim cōpiae maiōrēs Britannōrum convēnerant atque Cassivelaunus, dux hostium, omnēs rēs ad bellum parābat. Fluvius Tamesis agrōs Cassivelaunī a cīvitatibus maritimīs dīvīsit.

### **38. Descrição da Bretanha**

Incolae multī in Britannīā diu habitāverant aliī, quī ex Galliā nāvīgāverant, manserant et agrōs colēbant. Incolīs est numerus magnus pecorum: aes et tāleae sunt: plumbum album est in regiōnibus mediterrāneīs, in maritimīs ferrum : sed ferrī est cōpia parva. Nec fāgus nec abiēs est in insulā. Incolae leporem et gallīnam et anserem nōn gustant.

### **39. Os habitantes da Bretanha**

Insula est nātūrā triquetra: ūnum latus est contrā Galliam; ūnā ex parte est Hibernia; medio in cursu est insula Mona. Multae sunt insulae minōres, ubi trīgintā diēs continuōs hieme summā est nox. Ex

omnibus incolīs sunt humanissimī quī Cantium incolunt. Multī, quī regiōnēs interiōrēs incolunt, frūmenta nōn sērunt, sed lacte et came vīvunt. In bello omnēs Britannī, ut Caesar in suīs librīs narrat, sē inficiunt vitro, quod efficit colōrem caeruleum.

#### **40. Um ataque surpresa dos bretões**

Equitēs Britannōrum et essedariī cum equitibus Rōmānī omnibus in partibus erant superiores atque hostēs in silvās et colles compulērunt. Dum Rōmānī sunt incautī atque castra muniunt, subito hostēs ex omnibus partibus contrā militēs, quī prō castrīs erant in statione, impetum fecērunt. Caesar duās cohortēs et partem legiōnis mīsit. Rōmānī hostēs fugavērunt atque' numerum magnum necāvērunt.

#### **41. O método bretão de lutar**

Hōc in genere pugnae nostrī propter arma gravia nec hostibus instare poterant nec ab signīs discēdere audēbant. Nostrī equitēs magno cum

perīculo pugnābant, quod hostēs consulto saepe cedēbant atque, ubi nostrōs a legiōnibus remōverant, ex essedīs desiliēbant et pedibus contendēbant . Hostēs rārī semper pugnābant et statiōnēs intervallis magnīs habēbant atque integrī fessīs succēdēbant. Hīs causīs mīlitēs Rōmānī magnā cum difficultāte contendēbant.

#### **42. Um ataque supresa dos bretões**

Postero diē hostēs, quī procul a castrīs erant in collibus, nostrōs equitēs proelio lacesere incipiēbant. Tempore merīdiāno, ubi Caesar trēs legiōnēs et omnēs equitēs cum Gaio Trebonio, lēgāto, frūmentī causā mīserat, ilī subito in pābulātōrēs impetum fēcērunt. Sed nostrī ācriter resistēbant atque magnum numerum illōrum necavērunt et cēterōs fugāvērunt. Hāc ex fugā auxilia, quae omnibus ex partibus convēnerant ad hostēs, discessērunt nec post illud tempus hostēs cum omnibus cōpiīs contrā nostrōs contendērunt.

### **43. A submissão dos trinobantes**

Inde Trinobantēs, prope firmissima illārum regiōnum cīvitās, lēgātōs ad Caesarem dē pāce misērunt atque sē Caesarī dedērunt. Ex hāc cīvitāte Mandubracius, fīlius rēgis, ad Caesarem in Galliam vēnerat. Caesar multōs obsidēs et frūmentum imperat atque Mandubracium ad illōs mittit. Illī imperāta faciunt atque obsidēs ad numerum et frūmentum mittunt. Inde gentēs multae lēgātōs de pace mittunt atque sē Caesarī dant.

### **44. A travessia do Tâmisia**

Interim Caesar exercitum ad fluvium Tamesim in agrōs Cassivelaunī dūxit. Hic fluvius ūno loco sōlo pedibus transīrī potest. Ubi Caesar ad hunc fluvium vēnit, Britannī cōpiās magnās in alterā ripā habēbant . In ripā et in fluviō sudēs erant acūtae. Caesar, ubi hās rēs a captīvīs et perfugīs cognōvit, equitēs et legiōnēs statim praemisit. Hostēs

impetum nostrōrum sustinēre nōn poterant, atque fugae sē mandāvērunt.

#### **45. Guerrilha**

Cassivelaunus, quī spem contentiōnis amiserat, cum equitibus sōlis itinera Rōmānōrum servābat. Ex viā excēdēbat atque in silvis et locīs impeditis se occultābat. Subito impetum contrā Rōmānōs quī vastābant agrōs faciēbat. Itaque Rōmānī nōn procul a legiōnibus discedere audēbant, sed agrōs hostium vastābant et aedificia incendēbant.

#### **46. A captura da cidade de Cassivelauno**

Oppidum Cassivelaunī erat nōn procul ab illo loco : in illīs regiōnibus silvae multae et palūdēs erant atque Britannī oppidum fossā et vallo mūniverant. Caesar, ubi ad hunc locum cum legiōnibus pervēnit, duabus ex partibus oppugnāre contendit. Hostēs, quī impetum nostrōrum sustinēre nōn poterant, fugae se mandāvērunt. Copiae



Rōmānae, ubi oppidum expugnāvērunt, magnum numerum pecōrum cēpērunt atque captīvōs multōs necāvērunt.

#### **47. A submissão de Cassivelauno**

Interim Cassivelaunus nuntiōs ad Cantium mīsit. In hīs regiōnibus quattuor rēgēs, Cingetorix, Carvilius, Taximagulus, Segovax, rebellīonem contrā Rōmānōs parāvērunt et subito impetum in nāvēs Rōmanās fecērunt. Sed, postquam Rōmānī hostēs magnā cum caede superāvērunt atque agrōs vastābant, Cassivelaunus nuntiōs ad Caesarem de pace mīsit. Caesar, quī in continentī hiemāre instituit, obsidēs imperāvit atque exercitum tōtum ad mare dūxit.

#### **48. O retorno para a Gália**

Caesar, quod magnum numerum obsidum et captīvōrum habēbat atque tempestātēs nāvēs paucās dēlēverant, duōbus itineribus exercitum transportare instituit. Interim Rōmānī nāvēs

reparāverant et Britannī omnēs obsidēs, quōs imperāverat Caesar, mīserant. Itaque, ubi ventus erat idōneus, secundā vigīliā Caesar nāvēs solvit atque primā luce ad continentem cum omnibus cōpiīs pervēnit. Inde exercitum in hīberna dūxit atque, quod illo anno cōpia frūmentī in Galliā erat parva, legiōnēs in plūrēs cīvitātēs distribuit.

#### **49. A morte de César**

Interim invidia magna Pompeium, quī in Italia manserat, propter victoriās Caesaris movit. Caesar et Pompeius de principatu civitatis contendēbant . Caesar, postquam Gallōs vicit, exercitum suum ad Italiam ducebat: tandem ad fluvium Rubicdnem venit. Inde post dies paucōs legiōnes suās trans fluvium duxit. Itaque bellum contrā civitatem Rōmānam indixit. Mox Pompeium et cōpiās Senatus superāvit. Pompeius ad Aegyptum navigāvit, ubi servus illum necāvit. Caesar, postquam Romam revertit, imperium maximum habebat: sed Rōmānī

ilium timebant atque multī coniurationem fecērunt. Brutus et Cassius cum paucis Caesarem prope statuum Pompeiī necavērunt.

## **50. As conquistas de César**

Caesar, quī novem annōs in Galliā bellum gerēbat, totam provinciam superāvit. Caesar pontem in Rhēno decem diēbus aedificāvit atque contrā gentēs Germanās contendit. Rhenus ex agrīs Lepontiōrum, quī Alpēs incolunt, per finēs gentium multārum ad Ōceanum dēfluit. Caesar cōpiās in finēs Sigambrōrum dūxit atque agrōs vastāvit. Bis in Brītanniam nāvigāvit et in parte insulae gentēs multās superāvit. Belgae et Vercingetorix, quī erat dux praeclārissimus Gallōrum, Caesarī sē mandāvērunt. Postquam Pompeium vīcit, multās lēgēs et bonās cīvitātī Rōmānae dedit.

## **51. A invasão pelo Imperador Cláudio**

Gaius Iulius Caesar, quī prīmus ex Rōmānīs ad Britanniam nāvigāvit, parvam partem sōlam insulae

superāvit. Britannī peditibus et essedīs plurimum valēbant, sed, quia factiōnēs erant multae, minus resistere poterant. Nec Rōmānī, postquam Caesar ad Galliam revertit, fere per centum annōs impetum contrā Britanniam fēcērunt.

Inde Claudius, imperātor Rōmānus, Aulum Plautium cum quattuor legiōnibus mīsit propter ter\ s causās, quod Galliam dēfendere voluit, atque Britannia fert aurum et argentum et metalla multa, atque magna erat discordia inter filids Cunobelini, quī Trinobantēs rexerat.

## **52. Boadicea**

Claudius, quī in Britanniam vēnerat, paucōs diēs sōlōs manebat, quod, ut Tacitus narrat, caelum imbribus et nebulīs erat foedum. Plautius, quī cōpiās in Cantium exposuit, legiōnem vīcēsimum Virocōnium, secundam Iscam, nōnam Lindum mīsit. Posteā Boudicca, rēgīna Icenōrum, rebellīōnem magnam contrā Rōmānōs, quī bellum in Ordovicēs

gerēbant, subito parāvit. Boudicca oppida multa et castra expugnāvit atque numerum maximum Rōmānōrum necāvit.

### **53. O avanço romano**

Rōmānī, postquam Boudiccam superāvērunt, cōpiās Dēvam et Eburācum duxērunt. Hōc tempore Rōmānī Eburācum caput Britanniae fēcērunt. Legiōnes Rōmānae oppida maxima, Iscam, Dēvam, Eburācum tenēbant; cōpiae auxiliārēs, quae erant minores numero, castra tenēbant . Rōmānī viās multās fēcērunt; per illās copiae Rōmānae iter celeriter faciēbant atque auxilium ad suōs militēs celerrimē mittere poterant. Hōc tempore Rōmānī magnam partem insulae superāverant.

### **54. A Conquista de Anglesey**

Inde Agricola, lēgātus Rōmānus, quī ad Britanniam vēnerat, insulam Monam oppugnāre instituit. Prīmo cōpiās contrā Silures dūxit, sed hōc tempore nullās nāvēs habēbat, nec insulam facile

superāre poterat. Itaque mīlitēs dēlectōs convocāvit, quī vada cognovērunt. Illi cum equīs ad insulam Monam nat\avērunt. Incolae, territī, nuntiōs ad Agricolam dē pāce misērunt. Anno proximo exercitum comparāvit, loca castrīs idōnea cēpit, itinera per silvās et loca impedīta fēcit.

### **55. Os acampamentos romanos**

Hieme Agricola partem insulae, quam superāverat, bene regēbat. Hōc tempore et Britannī et Rōmānī oppida, viās, templa, fora, villās, balneās, amphitheatra aedificābant, agrōs colēbant, litterīs Rōmānīs studēbant; toga erat frequens. Anno proximo Agricola castra in plūribus locīs aedificāvit; nec hostēs castra, quae posuerat Agricola, expugnavērunt. Illa castra magnam cōpiam frūmentī semper habēbant. Mīlitēs Rōmānī, ubi nocte constitērunt, castra ponēbant atque fossā et vallo muniēbant . In castrīs dormiēbant; sed, ubi hostēs appropinquābant, imperātor Rōmānus suōs ex

castrīs semper dūcēbat, quod mīlitēs Rōmānī gladio et tēlis pugnābant . (8i)

## **56. O avanço até a Escócia**

Quartā aestāte Agricola iter per agrōs Silgovārum facit. Spatium angustum, quod fluviōs Clotam et Bodotriam dīvidit, praesidiīs firmat atque anno proximo cōpiās suās in partēs interiōrēs dūcit. Inde, quod timēbat rebelliōnem omnium gentium, quae incolunt trans Bodotriam, classem praemīsit. Hōc tempore Agricola bellum marī et terrā gerēbat, Omnēs quī Caledōniam incolunt ad arma vēnerant. Multī Rōmānī trans Bodotriam revertere voluērunt, sed Agricola, ubi exercitum in tres partēs dīviserat, contrā hostēs contendit.

## **57. O Monte Gráupio**

Hostēs, ubi illās res cognovērunt, impetum contrā legiōnem nōnam, quae erat minor numero, subito fecērunt. Agricola equites celeriter praemīsit et omnibus cum cōpiīs contendit. Tandem hostēs in

palūdēs et silvās fugae se mandābant; sed maiōrem numerum mīlitum convocābant atque, ubi liberōs et fēminās in loca tūtiōra mīsērunt, bellum iterum gerere parābant . Agricola, ubi praemisit classem, quae terrōrem magnum hostibus faciebat, cum exercitū ad montem Graupium pervēnit.

### **58. O discurso de Cálgaco**

Calgacus, imperātor praeclārus hostium, cōpiās suās convocāvit.

“Hic diēs”, inquit, “dabit libertātem omnibus Britannīs: proelium et arma sunt tūtissima et fortibus et ignāvīs. Nisi Rōmānōs ex insulā expulerimus, fēminae et liberī erunt servī: nōs etiam erimus servī. Rōmānī sunt raptōrēs orbis. Necāre et vastāre imperium appellant, atque, ubi sōlitūdinem faciunt, pācem appellant. Boudicca rēgīna castra incendit, oppida expugnāvit, hostēs paene expulit. Nōs Rōmānōs expellere facile poterimus.”



## **59. A batalha do Monte Gráupio**

Agricola etiam mīlitēs suōs convocāvit. “O mīlitēs”, inquit, “septem annōs bellum contrā hostēs gessistis: Britanniam castrīs et armīs tenēmus : victōria et glōria ūnā in pugnā erunt nobis.” Inde mīlitēs Rōmānī impetum facere incipiēbant . Agricola pedes ante mīlitēs constitit. Rōmānī hostēs magnā cum caede supera vērunt atque nox erat fīnis pugnae. Inde Agricola, dum classis Rōmāna circum Britanniam nāvigat, legiōnes suās in hīberna dūxit. Posteā, ubi prōvinciam trādīdit, in Italiam revertit.

## **60. O fim da ocupação romana**

Rōmānī duōs murōs aut valla aedificāvērunt vallum Antōnīnī a Clotā ad Bodotriam atque vallum Hadriānī inter Lugovallium et Pontem Aelium. Sed, quod Rōmānī vallum Antōnīnī dēfendere nōn poterant, cōpiae maiōrēs erant in vallo Hadriānī. Ubi Clodius Albinus suās cōpiās ex Britannia

transportāvit, hostēs impetūs multōs contrā vallum Antōnīnī fēcērunt, atque duōs murōs et aedificia multa et oppida dēlēvērunt. Inde Sevērus, imperātor Rōmānus, vallum Hadrianī iterum aedificāvit atque castra in multīs locīs fēcit. Sed postea lēgātī Rōmānī cōpiās ex Britannia ducēbant tandem legiōnēs; omnēs ad continentem revertērunt.



